



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

De hiis qui eius summa humanitate, ad auaritiam & hypocrisim abusi sunt.
Cap. LIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII DE VITA

*Quod triginta duos annos cum imperasset, & plusquam
sexaginta annos vixisset, corpus omni
morbo vacuum haberet.*

CAP. LIII.

DVos igitur & triginta annos (extra paucos menses & dies) cum imperio fuit: eundemq; annorum numerum vita duplicabat: quo omni tempore corpus ei præclare constitit, sine morbo, sine dolore, nulla conspurcatum labe, quovis iuuenili corpore valentius: aspectu pulchrum, & ad omnes functiones obeundas, ad quas viribus esset opus, robustum. Itaque facile se exercere, equitare, itinera conficere, bellorum periculis se obijcere, trophæa de hostibus constituere, & illas (quibus plurimum uti solebat) sine sanguine, sine cede de hostibus victorias reportare.

De hiis qui eius summa humanitate, ad avaritiam & hypocrisim abusi sunt.

CAP. LIIII.

Pari ratione animus ei ad summum omnis humanæ perfectionis fastigium ascendit: omni virtutum genere exornatus, præcipuè vero humanitate, quæ tamen propter improborum hominum in scelere licentiam à multis reprehensa est, cum in eis peccandi causam imperatoris lenitati assignarent. Et quidem certe nosmetipsi comperimus, duo non ferenda vitia temporibus illis viguisse: primum corruptelam vafra inexplabilem quorundam & sceleratorum hominum, qui reliqua vita dissoluti erant, deinde aliorum inexplicabilem simulationem, qui specie quadam ficta prætextuque Christiani nominis in ecclesiam surrepebant. Imperatoris vero humanitas, bonitas, sincera fides, & morum constantia ac veritas facile eum adduxerát, ut fidem haberet huic istorum in speciem fictæ professioni, qui opinione tantum Christiani sunt habiti: maximè quod iidem veram erga illum benevolentiam, sed falsis ac fallacibus animis conferuare simularent, quibus cum se credidisset eiusmodi fortasse calumniis longè aliter quàm par erat, infamabatur: invidia scilicet hanc labem reliquis eius immiscente virtutibus. Sed hos non multo post diuinitus immissa pœna consumpsit.

Quod